

CAPITVLA ET CONVENTIONES

*inter Pontificem**et illustrem Dominium venetum.*

« In primis praefati oratores, procuratores et syndici expresse
 » renuntiaverunt cuicumque appellationi interpositae per dictum
 » Dominium, aut ejus nomine, ad futurum concilium, et cuilibet
 » protestationi vel scripturae ad eam pertinentibus, illamque et
 » illas prout sunt, pro nullis, frivolis et penitus infectis haberi vo-
 » luerunt : seque facturos et curaturos promiserunt, quod episcopi
 » seu praelati coram quibus appellatio et protestatio praedictae
 » interpositae fuerunt, personaliter ad romanam curiam venient,
 » et S. D. N. se praesentabunt veniam petituri et poenitentiam eis
 » injungendam recepturi.

» Item, nominibus et modo quibus supra, ante omnia reco-
 » gnoverunt et confessi fuerunt litteras apostolicas monitoriales
 » alias per S. D. N. sub Datum anno Incarnationis Dominicae
 » M. D. IX quinto kal. Maji, pontificatus ejusdem anno VI, contra
 » ducem, rogatos, consiliarios et alios Venetiarum civitatis prae-
 » sidentes, dominium, ejusque terras et loca decretas, de quibus
 » illarumque tenore et singulis clausulis et capitulis in eisdem
 » contentis plenam et indubitam notitiam habere asseruerunt,
 » legitime et ex veris et legitimis causis emanasse : petieruntque
 » humiliter et devote absolutionem a censuris in eis contentis et
 » quibusvis aliis et interdicti in eis contenti relaxationem.

» Item, nominibus et modo quibus supra, expresse et sole-
 » mniter promiserunt nullo unquam tempore, aut quovis quaesito
 » colore, seu quavis causa in futurum aliquas decimas, seu impo-
 » sitiones, seu collectas, aut quaecumque onera clericis vel eccle-
 » siasticis personis, tam ratione personarum, quam quorumcumque
 » beneficiorum ecclesiasticorum seu etiam ecclesiarum, monaste-
 » riorum, vel locorum religiosorum, aut hospitalium imponere, seu
 » imposita exigere.